

ret: quid est, quod interdixit DEVS, ne comederetis de hoc ligno? Equidem si vera esset Patrum a) nonnullorum sententia, diabolum cum homine, vel demum; ost seductum eum lapsum esse: non diabolus primus DEVM in terra nominasse dicendus esset; sed angelus tum temporis adhuc bonus. At uti vel seducendi propositum non potuit nisi in iam corrupto locum habere: ita scriptura non tantum in historia lapsus humani, sed & locis aliis quamplurimis DEI notitiam haud vulgarem Dæmonibus tribuit. Quid aliud enim innuit Historia Jobi, \*) quando bis Satanam inter filios DEI coram Domino stetisse dicit; quid aliud innuit Scriptura †) Micham vidisse memorans Spiritum mendacem ad faciem Domini constitisse, Zachariam \*) referens conspexisse ad Josuæ Pontificis dextram Satanam stantem coram Angelo Domino; quam Dæmones æq; ac bonos angelos atq; homines pios, in penitentiorem quoq; DEI cognitionem admitti? Et sane omnis de essentia & attributis DEI doctrina propius dæmones attingere videtur, nam & quod bonus atq; benignus DEVS, gravius illis existit atq; horribilius. Illustris eam in rem Jacobi locus est, impios fidem erepantes increpans: *Tu credis DEVM unum esse, bene facis, etiam Dæmonia credunt, & contremiscunt.* Quo in loco Dæmonibus amplissimam non de essentia solum & attributis, sed & de voluntate ac operibus DEI notitiam tribui si asseruero, non nimis dixerō. Certe non tantum DEO credere dæmonia hinc dicuntur h. e. vera existimare quæ DEVS loquitur, sed etiam DEVM credere, h. e. plena convictione noscere DEVM quod sit (qua phrasi Paulus totam fere doctrinam salutarem aliquando \*) complectitur) & quod talis sit, qualem se manifestavit, probis nempe gratiosum, malignis autem judicem severissimum. Imo dicuntur DEVM unum credere, qua phrasi non solum. Moses plenam DEI notitiam inculcat, †) dum ait: *Audi Israël, Dominus, DEVS noster, Dominus unus est.* Sed Christus etiam doctrinam hominibus salutarem comprehendit: *hec, inquit, \*) est vita æterna, ut te cognoscant solum illum verum DEVM, & quem misisti JESVM Christum.* Vnde & S. S. TRINITATIS notitia recte ipsis asseretur, sine qua DEVS verus nosci nequaquam dici potest. Et sane, si vel amisisset unquam mysterii hujus notitiam diabolus, acquirere eam potuerat, cum baptismi Christi spectator existeret. Certe in proximè secuta Christi tenta-

\*) Job. I, 6. 12.

H. I. 7.

†) 1 Reg.

XXII, 21.

2 Paralip.

XII, 20.

\*) Zach. III,

2. 2.

Jac. II, 19.

\*) Ebr. XI, 6.

†) Deut. VI,

4.

\*) Joh. XVII,

3.

tationis